



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

An gratia Dei, quæ semper plena est & tota, possit augeri vel minui. tit. 55

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

ificat. Rom. 3. Gratis iustificati gratia ipsius. Gratia Dei propter Christum donat spiritum sanctum, Ioan. 14. Gratia propter Christum donat vitam æternam, Roman. 6. Gratia ante omnia opera meritoria iustificat, Actor. 15. Gratia Dei sumus, quales sumus, 1. Cor. 15. Hæc gratia & misericordia eligit, vocat, iustificat & glorificat, Rom. 8. Ephe. 1. Sed hæc omnia se-  
ctæ tribuunt soli fidei, cum tamē fides solū apprehendit id, quod gratia efficit. At efficere & apprehendere, differunt. Gratia præcedit fidem, &c.

*AN GRATIA DEI, QVÆ  
semper plena est & tota, possit au-  
geri vel minui.*

## TITVLVS LV.



Rimò notādum, q̄ Deus non dat di-  
midium aut partē gratiæ, nec mise-  
retur ex parte aut dimidio, sed ple-  
nè & totaliter semper cōfertur gra-  
tia cui cōfertur, sicut nulli datur di-  
midius sol, aut pars, sed totus sol lu-  
cet cuiq̄. Nā sol non potest in se diuidi, sic nec gratia  
Dei ex se & sua natura potest augeri & minui, &c. Si-  
cut nec Deus maior & minor fieri, neq̄ diuidi potest.  
Deus spiritus est, Ioan. 4.

Secūdò, quòd gratia dicitur augeri vel minui, hoc  
dicitur ratione præmij operū, vt qui plurimū ope-  
ratus fuerit, plurimū etiam præmiorum obtinebit.  
1. Cor. 3. Vnusquisq̄ mercedem suam accipiet secun-  
dum suum laborem, id est, iuxta gradus laborum. Et  
1. Corint. 15. Differt stella à stella in claritate. Secun-  
dum ergo, quod quisque vsus est donis Dei, ita plus  
vel minus de præmio gratiæ accipiet, ipsa gratia di-  
stribuit de præmio plus aut minus iuxta laborem.  
In se tamē semper manet indiuisa, sicut exemplificat  
Mm 4 Cypria-

Cyprianus de sole, qui iuxta cuiusque diligentiam & laborem dicitur homini plus aut minus lucere. Cyprianus libr. 4. Epist. Epistola 7.

Licet enim Deus nihil debet nostris operibus, La. 17. attamen ex promissionis gratia vult recompensare nostrum laborem & negociationis diligentiam, sicut patet de talentis commissis, Matth. 25. vbi unus lucratur decem, alter quinque, tertius nullum. Et sic dicitur gratia augeri vel minui: sic inquit Christus Ioan. 14. Esse in domo patris mansiones multas &c. id est, diuersa præmia, vt sunt diuersæ stellæ in vno cælo, id est, maiores & minores.

Tertiò, Licet gratia Dei sit indiuisa in se, attamen dona ipsius, id est, fides, charitas, spes, timor, &c. possunt augeri & minui. sic orat Paulus, vt fides & charitas in nobis augeatur & cognitio Dei, Coloss. 3. Philip. 1. Et Christus Mat. 24. dicit, charitatem minui, id est, refrigerare &c. Sic dona Dei merentur augeri, si bene illis vtimur: sin autem minus, diminui &c.

Quartò, Grauius ergo peccant, qui sic de operibus nostris loquuntur, quòd nemo debeat illa facere, & iubent abscondere talentum, sicut seruus piger fecit, Mat. 25. Sed vix, qui dicunt bonum malum &c. Admonet ergo Apostolus, Galat. 6. Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes indeficientes & indeficientem mercedem habebimus.

Quintò, at dicunt: Volo vitam æternam propter Christum, & non propter mea opera & merita. Verum. At Deus nõ vult tibi dare Christum, & sua merita, nisi per media, id est, fidem, charitatem, &c. Sacramenta & obedientiam præceptorum, Hæc si non habueris, non apprehendes Christum. Pœnitere ergo & crede, Mar. primo. Ideo carnale est sic sentire, vt propter Christum salutem, & non per opera mea, sic negligere opera. Sed fac tu opera, & serua media &c.

& tunc adhuc roga propter Christum tibi donari vitam, &c.

Christus natus est pro nobis, & oportet nos renasci, Ioan. 3. passus est in cruce, & nos nostram crucem portare debemus, Matt. 10. Luc. 9. Christus mortuus est, & nos peccato debemus esse mortui, Roma. 6. Resurrexit, & nos ad nouitatem vitæ resurgere debemus, Col. 3. Sic pro nobis passus est Christus, 1. Pet. 2. solus & semel redemit, nos vestigia sequi debemus, vt simus capaces beneficij Christi per hæc media. Alioqui nihil proderit mors Christi solùm externè credita.

*AN GRATIA DEI POTEST*

*iterum amitti.*

TITVLVS LVI.

**D**R Imò, Apostolus 2. Cor. 6. inquit: Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. In vacuum autem est recepta gratia, quando nõ impetratur hoc ad quod est concessa, id est, remissio peccatorum & salus æterna. Sic Iudas accepit gratiam, Matt. 26. qui tamen se suspendit Matt. 27. Sic ciuitates, Bethzaida, Corozain, Capernaum, Matt. 11. quibus dicit Christus: Si tantæ virtutes factæ fuissent Sodomæ &c. Et Ioan. 5. inquit Christus sanato: Ecce iam sanus factus es, noli peccare, ne tibi deterius contingat. Et Matt. 21. dixit Christus Pharisæis: Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Liquet ergo quòd gratia, qua Deus regnat in nobis, potest amitti per peccatum.

Secundò, hoc peccatum amissionis gratiæ, multò grauius est peccatum, & acrius punietur, quàm nuncquàm accepisse fidem aut gratiã. Sic inquit Christus Matth. 11. Tolerabilius erit Sodomæ &c. & 2. Petr. 2. Melius est nõ agnouisse veritatē, quàm agnitam iterum

M m s rum